



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Feria II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

quidem Euangelium tuum, id est verba tua; sumus ex Deo? Hæc profitemur, & tamen intelligimus tantum, & credimus. Aliud igitur à nobis exigit, aliud in illis verbis est, esse à Deo, & audire verba Dei, quæ nos hortaris vt habeamus. Sed quid illud est esse ex Deo? Esse diuinum, quod dat gratia tua & dona, horum etiam plerunque spirituales significationes & sensus. Ex his fit vt vigeat homo interior & spiritualis, & vt Dei verba & inspirationes audiamus: sine his enim non audimus

*Dionys.
Areop.
Eccles.
Hierarc.
cap. 1.*

interius verba Dei, nec illum sensum auditus habemus: habemus alium auditum, qui spiritualis non est. Confundor, Domine, cum hæc dico & audio: aufer à me hanc confusionem, & in me esse illud spiritus insere, illos sensus spiritus; vt non solum audiam verba tua, sed eorum suauissimum odorem olfaciam, saporem excellentem gustem, illis oblectem spiritum meum, ex illis fiant meæ actiones omnes spirituales, & fructuosa in te. Amen.

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Mittunt Iudæi ministros vt IESVM comprehendant.

IOAN. VII.

ANNO XXXII.

In lxvi. imaginem adnotatiuncula.

lxvi.

- A.** Hierosolyma ramis ornata, in festo tabernaculorum.
B. Turba, qua crediderat, Christum profiteur.
C. Templum, vnde armati mittuntur à Principibus & Phariseis, ad comprehendendum IESVM.
D. IESVS cum discipulis benignissime excipit satelli-

*tes, & eorum corda diuinitus emollit, vt diceret redeuntes, Nunquam sic loquutus est homo.
E. In nouissimo die festiuitatis clamabat IESVS, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

EVANGELIUM MISSÆ.

IOAN. VII.

IN illo tempore. De^b turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant; Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt Principes & Pharisei ministros, vt apprehenderent IESVM. Dixit ergo eis^d IESVS; Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos; Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo què dixit, Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego sum, vos non potestis venire? In^e nouissimo autem die magno festiuitatis stabat IESVS, & clamabat, dicens; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

AD NO.

ADNOTATIO.

A. Hierosolyma ramis & tabernaculis ornata; erat enim festum Tabernaculorum. & agebant de more in tabernaculis Iudaei.

B. Turba, quae in Christum crediderat, fidem suam proficitur; non posse Christum plura designare miracula quam IESVM; hunc certissime esse Christum.

C. Templum, vnde Principes & Pharisei armatos mittunt, ut IESVM comprehendant & vinculum ducant: exagitabat enim eos seua animi malignitas atque inuidia; nec pati poterant multum uicium Christi doctrina adductam profiteri ac predicare, nihil esse amplius reliquum dubitationis, non posse expectari à Christo plura signa vel miracula, quam IESVS patrauerat: plangit IESVM esse Meschiam quem expectarent.

D. IESVS cum discipulis benignissime excipiens satellites, & verbo suo illorum corda & ferocitatem emolliens: itaque ex lupis agnos, & ex infestis praedonibus facit pios Christi praedcatores. Simul uide astantes illos admiratione primum teneri, deinde non solum nihil audere in IESVM, sed illis uerbis intrinsecus aded commoueri, ut ad Principes redeuntes reinfestata, IESVM laudibus sint prosequuti; Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur.

E. Christus nouissimo die magno festiuitatis clamat ad turbas; Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat: aperit uidelicet fontem aquarum uiuentium se, & ad bibendum inuitat omnes mortales. Intendit uero in caelum digitum, ut quam aquam dabat, quem fontem aqua uiue aperiebat, eum in uitam aeternam salire intelligerent.

MEDITATIO.

Oratio preparatoria proponatur.

Templum: tempus, mensis September, triginta duo anni à natiuitate Christi. scopus, ut hac actione & doctrina Christi, eius uirtutem intelligam, qua couertat ad ipsum, & eius gratiae inuauitate recreer, & efficax fiam diuinitus. Igitur Christo docente miserunt Principes Sacerdotum & Pharisei, ut eum, quasi pestilentem hominem & nefarium, uinctum ad se adducerent, ut uidelicet de illo poena sumeretur. Considera indignitatem rei, atque ignominiam infamiam, ubi eum circumfistunt armati satellites, homines scelerati & impij: Christi uero mansuetudinem diuinam, qui placidissime illos excipit, & simul uirtutem uerbi diuini exercit in illos, & spiritus dulcedinem & efficaciam, ut diceret intra se, Nunquam sic loquutus est homo: quasi Dei potentiam in eo agnoscerent, & ex apparitoribus fierent discipuli. Mansuetudine, fratres, uiamur erga illos qui nos persequuntur, eosque beneficijs prosequamur, ex uihuius exempli & doctrinae Christi; ita & nos liberabimur à periculo, & nostros aduersarios beneficio afficiemus, & nobis conciliabimus. Dixit eis IESVS, Deus homo, salus mortalium aeterna; Adhuc modicum, &c. Beneficium illis summum responderet & offert, pro nefario maleficio. Adhuc modicum, inquit, tempus remanet, quo uestram, & om-

nium salutem sum repraesentaturus doctrina & miraculis, tum morte mea. Nec hoc tantum praestabo, sed illud praererea; Ascendam ad patrem meum, vnde Ecclesiam, & orbem gubernabo, & pro mortalibus Patri assidebo aduocatus atque intercessor. Et ubi sum ego, vos non potestis venire. Allicit illos dulciter & inuitat, ut quò ipse vadit, ipsi uelint sequi: sic enim solent allici pueri, ut ardentius optent quae eis negari uidentur, uel quae eos accipere non posse significatur. Dixerunt Iudaei. Non satellites, quos diuina uirtus uerbi ad fidem & pietatem iam commouerat, sed Iudaeorum gens incredula, apud semetipsos obmurmurant, & mussitant intra se; sentientes quidem vim uerbi, uerum exterius: nec enim credunt, uel petunt exponi; sed obloquuntur occulte & malitiose. Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? In contumeliam quidem Christi hoc dicebant Iudaei, & tamen ex Dei dispensatione uerum loquebatur imprudens: ipsi enim se se condemnabant infidelitatis, ac gentium fidem praedicabant: Gentes enim uerbum Euangelij erant accepturae, Rom. 11. excacandi ex parte Iudaei. Imitemur nos satellites, qui uerbo Dei compuncti diuinam uirtutem in uerbis senserunt ac professi sunt: Iudaeorum execremur impietatem, ac cordis ob-

stinatio-

stinationem. In nouissimo die. Cum diuina eruditione sitim spiritus excitasset in animis auditorum IESVS, postremo vehementer ad se illorum affectus allicit. Stabat IESVS. Stabat Christus, vt virtutem Dei exertam significaret ac paratam. Magna est hac animorum consolatio fratres, contemplari quasi expeditam & promptam vim diuini auxilij. Et clamat. Cum intensior intelligi non possit vox, quam infiniti verbi, quod est Christus; tamen humana voce clamat IESVS, qua vim applicat verbi omnipotentis atque infiniti. simul diuina vehementia excitat nos omnes ad audiendum. Ne simus surdi ad diuini verbi clamorem, nec reculemus loquentem de coelis, cuius vox mouit coelum & terram, & rursum mouebit in consummatione seculorum, & tremendi iudicij Dei. Si quis sitit, Diuina vi ac dulcedine, & qui non sitiunt, allicit ad spiritus sitim ac desiderium; & qui sitiunt, in his confirmat sitim & auget; simul admoner nos libertatis nostrae ad res spirituales, sed ipso praeeunte ac eius gratia, ipso excitante, ipso dicente, quod semper per Spiritum sanctum dicit, Si quis sitit, veniat ad me: initio vt veniat, offero facultatem diuinam, & vim qua veniat si velit, desidero ac peto vt veniat; veniat autem per fide; accedere enim ad Deum est credere, inquit Augustinus: credat pie, credat deuote in me esse spirituales aquam, qua sitim reficiat. Et bibat. Gratiam recipiat, quae vnica est formalis causa iustificationis & salutis: Fides principium, non con-

summatio salutis est. Bibat ex infinito fonte misericordiae meae, & meriti mei immenso: in me enim est fons vitae, fons aquae salientis in vitam aeternam. Aquae vero metaphora significatur gratia & eius effectus: illa enim a-stus concupiscentiae exinguit, spiritualia desideria, & amoris flammam fatiat, atque adeo ingerit & excitat vehementiores. Qui credit in me. Effectum explicat suauissimi potus diuinae aquae. Is enim bibit, qui cum crediderit, accipit cum fide spem, accipit charitatem & gratiam: haec enim sunt flumina aquae vitae & caelestis. Et tunc quidem etiam absque Sacramento iustificatur Christus; ipsius enim actiones ac verba erant tunc sua Sacramenta, atque efficacissima salutis signa & causa. Deinde tradidit Christus quibus actionibus, quibus verbis, quibus rebus esset conuenienda iustificatio per Sacramenta, quae illius actionibus succedunt. Sicut dicit scriptura: Apud te est fons vitae. Sitiennes venite ad aquas. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Effundam aquam super Iudam. Erit patens fons domui Iacob. Tota scriptura hoc significat hoc dicit. De ventre eius. De vtero spiritus, vbi concepto semine spiritus formatur proles spiritualis, ac meritum generatur, id est voluntas spiritus ac diuina virtute formata ac formata prole parit spiritualis; non ex se, sed ex accepta gratia. Aquae vitae. Habet nostra opera viuum fructum ex semine diuinae gratiae generatum in Christo.

Psal. 35. Ioan. 4.

Psal. 35. Psal. 41. Zach. 13. Esai. 44. Zach. 13.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Non ascendit ad festum IESVS: quaerunt eum Iudaei.

IOAN. VII.

ANNO XXXII.

In Ixvij. imaginem adnotat in uncula.

- A. Galilaea, vbi Christus versabatur.
- B. Iudaea, vbi volebat versari.
- C. IESVM arguit in Galilaea cognati, vt ascendat ad festum.
- D. Venit, non tunc, sed postea Hierosolymam.

- E. Tabernacula repleta semant Soenopegia diem.
- F. Quia conueniunt, vbi varia sunt murmura de IESV; Bonus est, non est, sed etc.
- G. Venit in Templo, primum non manifeste, sed quasi occulte, postea ad medium diem festi manifeste.

EVAN.